



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] liceat alicui iudicium subterfugere appellando? 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

pœna, propter rationem iam \* dictam. Ad tertium dicendum, quod sapiens non abscondit se calumniose, sed prudenter.

ARTIC. III.

*Utrum reo liceat iudicium per appellationem declinare?*

387

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod reo non liceat iudicium declinare per appellationem. Dicit enim Apostolus Rom. 12. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Sed reus appellando, recusat subijci potestati superiori, scilicet iudici. Ergo peccat.

¶ 2 Præterea, Maius est vinculum ordinariæ potestatis, quam propriæ electionis. Sed sicut legitur \* 2. quæst. 6. A iudicibus quos communis consensus elegerit, non liceat prouocare. Ergo multo minus licet appellare à iudicibus ordinarijs.

2. q. 6. c. A iudicibus.

¶ 3 Præterea, Illud quod semel est licitum, semper est licitum. Sed non est licitum appellare post decimum diem, neque tertio super eodem. Ergo videtur quod appellatio non sit secundum se licita.

**S**ED contra est, quod Paulus Cæsarem appellauit: ut habetur Act. 25.

**R**ESPONDEO dicendum, quod duplici de causa contingit aliquem appellare. Vno quidem modo, confidentia iustæ causæ: quia videlicet iniuste à iudice grauatur. Et sic licitum est appellare. Hoc enim est prudenter euadere. Vnde \* 2. quæst. 6. dicitur, Omnis oppressus, libere sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur. Alio modo aliquis appellat, causa afferendæ moræ, ne contra eum iusta sententia proferatur. Et hoc est calumniose se defendere: quod est illicitum, sicut \* dictum est. Facit enim iniuriam & iudici, cuius officium impedit: & aduersario suo, cuius iustitiam quantum potest perturbat. Et ideo sicut dicitur 2. quæst. 6. omni modo puniendus est, cuius appellatio, iniusta pronuntiatur.

2. q. 6. c. Omnis oppressus.

art. prat.

Ad

in solutione ad 1.



*Est Aug:  
ser. 6. de  
verb. do.  
10. 10.*

*2 q. 6. c.  
Catholi-  
cus.*

Ad primum ergo dicendum, quod potestati inferiori in tantum aliquis subijci debet, in quantum ordinem superioris seruat, à quo si exorbitauerit, ei subijci non oportet: puta si aliud iusserit Proconsul, & aliud Imperator, vt patet per \* Gloss. Roman. 13. Cùm autem iudex aliquem iniuste grauat, quantum ad hoc relinquit ordinem superioris potestatis, secundum quam necessitas sibi iuste iudicandi imponitur. Et ideo licitum est ei, qui contra iustitiam grauatur, ad directionem superioris potestatis recurrere, appellando vel ante sententiam, vel post. Et quia non presumitur esse rectitudo, vbi vera fides non est, ideo non licet catholico ad infidelem iudicem appellare: secundum illud secundæ quæstionis sextæ \*, Catholicus, qui causam suam siue iustam, siue iniustam ad iudicium alterius fidei iudicis prouocauerit, excommunicetur. Nam & Apostolus arguit eos, qui iudicio conredebant apud infideles.

Ad secundum dicendum, quod ex proprio defectu vel negligentia procedit, quod aliquis sua sponte se alterius iudicio subijciat, de cuius iustitia confidit. Leuis etiam animi esse videtur, vt non permaneat in eo quod semel approbavit. Et ideo rationabiliter denegatur subsidium appellationis à iudicibus arbitrarijs, qui non habent potestatem, nisi ex consensu litigantium. Sed potestas iudicis ordinarij non dependet ex consensu illius, qui eius iudicio subditur, sed ex auctoritate regis & principis, qui eum instituit. Et ideo contra eius iniustum grauamen lex tribuit appellationis subsidium. Ita quod etiam si sit simul ordinarius, & arbitrius iudex, potest ab eo appellari: quia videtur ordinaria potestas occasio fuisse, quod arbiter eligeretur: nec debet ad defectum imputari eius, qui consensit in eum sicut in arbitrum, non vt in eum, quem princeps iudicem ordinarium dedit.

Ad tertium dicendum, quod æquitas iuris ita subuenit vni parti, quod altera non grauetur. Et ideo



ideo tempus decem dierum concessit ad appellandum, quod sufficiens æstimavit ad deliberandum, an expediat appellari: Si verò non esset determinatum tempus, in quo appellare liceret, semper certitudo iudicij remaneret in suspenso: & ita pars altera damnificaretur. Ideo autem non est concessum, ut tertio aliquis appelleret super eodem: quia non est probabile, torrens iudices à recto iudicio declinare.

ARTIC. IV.

*Vtrum liceat condemnato ad mortem se defendere si possit?*

388

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quòd liceat condemnato ad mortem se defendere, si possit. Illud enim ad quod natura inclinatur, semper est licitum, quasi de iure naturali existens. Sed natura inclinatio est ad resistendum corrumpentibus, non solum in hominibus & animalibus, sed etiam in insensibilibus rebus. Ergo licet reo condemnato resistere, si potest, ne tradatur in mortem.

¶ 2 Præterea, sicut aliquis sententiam mortis contra se latam subterfugit resistendo, ita etiam fugiendo. Sed licitum esse videtur, quòd aliquis se à morte per fugam liberet: secundum illud Eccles. 9. Longè esto ab homine potestatem habente occidendi, & non vivificandi. Ergo etiam licitum est reo resistere.

¶ 3 Præterea, Prouerb. 24. dicitur, Erue eos qui ducuntur ad mortem; & eos qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Sed plus tenetur aliquis sibi, quam alteri. Ergo licitum est, quòd aliquis condemnatus, seipsum defendat, ne in mortem tradatur.

**S**ED contra est, quòd dicit Apost. Roman. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: & ipse sibi damnationem acquirit. Sed condemnatus, se defendendo, potestati resistit, quantum ad hoc, in quo est diuinitus instituta ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Ergo peccat se defendendo.

R E-